

500. — Atque haec, ne aliarum sacrarum disciplinarum fines ingrediamur, sufficiant ut in comperto ponatur quod vel a limine asserebamus, videlicet, quantum animarum Pastori intersit ut haec media quae illi materna Ecclesiae sollicitudo iubet, ad spirituales sui ministerii finem assequendum rite adhibeantur. Nam si unquam alia, haec profecto sunt quibus animarum salus directe intenditur, quae, prae coeteris omnibus facienda est.

Articulus II.

DE MEDIIS INDIRECTIS.

Quamvis ad christianam in plebe sancta Dei observantiam assequendam tutamque hucusque memorata media adeo pernecessaria sint ut si posthabeantur et illa quoque confodiatur, attamen et quaedam alia in re adiumenta recolenda supersunt, quae quum [quamvis efficacissime] indirecte tantum in observantiam influant, indirecta compellere placet. Quae attente considerando in tres, ut ita dicamus, classes dispesci possunt, nempe: in paroeciae ac singulorum paroecianorum agnitione, in congruenti Pastoris cum ovibus ac vicissim consuetudine, et in materiali auxilio tum singulis, tum consociatis fidelibus a Pastore praestando, de quibus omnibus praecipua ad praxim attinentia recalemus.

§ I. — De Paroecia ac paroecianorum agnitione ac Pastoris cum grege consuetudine.

SUMMAE RERUM. — 501. Huius agnitionis praxis quae. — 502. De *Animarum statu* redigendo, et ad rem practica ratio. — 503. De fidelium ad Pastorem accessu. — 504. De Pastoris cum ovibus consuetudine. — 505. De *spiritu paroeciali* in fidelibus fovendo.

501. — De paroeciae ac paroecianorum agnitionis necessitate, quae alibi ad rem tradidimus plura effari non sinunt, et Pastorem qui illam posthabeat in quale ac quantum errorum pelagus impingat satis superque pluries monuimus. De quibusdam potius practicis ad rem mediis haec dicendum superest, quae, synthetica ratione, sequentibus perstringimus:

a) Antequam paroecialem curam Pastor subeat, de concredita sibi ditione a prudentioribus notitias adipisci curabit, et

postquam illam adeptus sit in id primum ac potissimum suam curam impendat. Ad rem rationem alibi recolimus ¹.

b) Quum, verò, procedente tempore, tum personae ac eventus, tum res ipsae mutentur, ut, perquam sedula cura ac diligentia, huic negotio continuo Pastor studeat, omnino decet, quin tamen tam imprudenter agat ut in familiis se ingerat, adeptis notitiis inepte utatur, et Coadiutoribus, vel [quod sane peius] coeteris laicis eas communicet.

c) Huius agnitionis obiectum dupliciter dispesci potest, nimirum:

I. Generale ac, uti dicamus, impersonale quo Pastor dignoscit:

1. Paroecianorum numerum, animarum nempe pro quibus tum apud Deum, tum apud homines rationem redditurus est numerositatem.

2. Communem eorum statum quoad temporalia, scilicet, an maxima eorum pars divites, an pauperes sint, an aequaliter mixti et similia. Pro hac, enim, diversitate, eorum multitudinem diversimode regendam esse per se liquet.

3. Communem ovium suarum indolem Pastor disquirat, an nempe mitiori sint quae monitis facilius flecti patiatur, an vero duriori quae ipsis obsistat: an ad ardua religionis officia excitari possint, an vero segni et abiecta natura quae etiam ad infima vix adducatur.

4. Quo ingenio ac capacitate paroeciani sint, et an fidei ac morum doctrina rudes et ignari, an autem et quantum instructi inquirat Pastor bonus. Pro *qualitate, enim, ac diversitate audientium moderandum esse sermonem doctoris* ² perbelle Divus monet Gregorius.

5. Vitia in paroecia magis invalescentia disquirat, quum in his extirpandis eradicandisque peculiaris Pastoris cura contineatur. Quapropter horum vitiorum occasiones ac fontes dignoscat Pastor bonus, ut primas recidere, alteras vero exsiccare valeat. Quae, igitur, ac quanta in primis inhonesta loca, uti tabernae, choreae sint, personarum diversi sexus conventicula, quae parentum ac dominorum in filios ac in famulos incuria, qui in Parochum malevole se haberi consuescant, qui in Ecclesia ac Sacramentis frequentandis negligenter se habeant et similia, dignoscere Pastor studeat ut, omnibus opportune subveniendo, plurimorum eventuum legitimas comperiat causas, ac ipsis in tempore opportunè prospicere possit valeatque.

¹ Cfr. pag. 214.

² *Moral.* lib. XXIV, cap. 3.

II. Et peculiarem uniuscuiusque fidelis notitiam sibi comparabit Pastor, quum paroeciae illa sine altera habita, peculiaribus ovium necessitatibus haud consulere possit. Idcirco:

1. Singulorum paroecianorum indolem ac physicam conspersionem dignoscat de quo plura alibi diximus¹.

2. Eorum instructionis vel ignorantiae gradum disquirat, et qui boni qui mali, qui propositi tenaces qui instabiles, qui odia foveant, qui liberorum curam apte gerant, qui misericordes, qui pecuniae nimis tenaces, qui speciali consilio, solatio, vigilantia et cura Pastoris egeant, perscrutet, ac tam diligenter inquirat ut oves singulas, in omnibus tum in se ipsis, tum in earum relationibus, desideriis ac timoribus perspectas habeat, quo tantum [quod numquam satis dictum] eas opportune reget.

502. — Ad hanc sibi comparandam notitiam tum canones, tum ipsis suffulta consuetudo [jure meritoque] *Animarum Status* descriptionem in singulis paroeciis iubent, quo in negotio tanta diligentia ac assiduitate utendum ut omnes quae ad rem faciunt notitias inibi recenseantur, ac earum mutationes exacte recolantur. Ad rem:

a) *Practica Status Animarum* conficiendi ratio non una apud omnes est, et ut alibi recolemus, modum illum quo potiusquam libelli, schedulae ad hoc adhibentur, utiliorem praestantioremque plurimi censent. Hac, enim, ratione, in mutationibus, familiae ac personae expungi possunt ut novae sufficiantur, quin inutiliter veterae in elenchum servantur, quarum tamen schedulae semper separatim custodiendae manent. Qui vero *quoties ab una ad aliam paroeciam domicilium transferit, a priori Curione familiae statum acceptum ad novum deferat*², perquam laudandus erit.

b) Quidquid sit, tum si liber, tum si schedulae adhibeantur, quaestionum ordo a *Rituale Romano* praestitutus saltem in parte essentiali servetur, et ad rem ad voluminis calcem usitatus paradygma apponimus³, quin systemata caetera minoris faciamus.

c) Si, vero, quoad singulorum paroecianorum qualitates quaedam in eorum laudem vel vituperium vertentia adnotanda veniunt, perquam prudenter in re Parochus se gerat, ne, forte, scriptum in alienas ac inimicas deveniendo manus, mala ac iurgia haberi possint. Quapropter potiusquam litteras, numeros ac signa adhi-

¹ Cfr. pag. 344.

² Synod. Veneta [a. 1908] a SS. D. N. Pio PP. X celebrat. Pars. IV, Cap. IX.

³ Cfr. docum. XLIV.

bere praestabit, ita excogitata et ordinata ut eorum intelligentiam alter assequi minime valeat.

d) Saltem *quotannis*, in omnibus ac singulis paroeciis *Animarum status* describatur, et in tanti momenti re, in qua non solum qui incipit, sed qui perseveraverit muneri suo satisfacit, tam sedulo per annum incumbendum ut, sensim sine sensu, mutationes novitatesque omnes fideliter, statim, exacte, tranquillo animo ac veritate duce describantur. Quod si in parvis oppidis nullius negotii erit, in magnis, e contra, civitatibus perquam difficulter haec computatio ac descriptio confici potest; quod tamen, potiusquam hanc curam parvipendere, eo diligentius in ipsam incumbere suadere debet. Per saepe, enim, potiusquam in primis, in alteris ovium necessitatibus consulendum est, quod [iterum recolimus] inscio impossibile extat.

e) Tandem *Animarum status* descriptio a Pastore ipso exaranda et corrigenda, ac apud ipsum caute ac fideliter custodienda erit, ne ad extraneos deveniri possit.

503. — Quum vero propriis oculis auribusque res perspicere quam alienis fidere praestantius securiusque sit, ut primis potiusquam alteris Pastor utatur necesse est, quod prudenti quidem ac opportuna, sed et assidua Pastoris cum ovibus consuetudine tantum ipse assequetur, quo Servatorem Nostrum imitabitur qui in mortali sua peregrinatione non in templo tantum, sed et in familiis, per vicos ac plateas cum hominibus conversatus est, ut veritatis salutisque verba et exempla videntibus audientibusque praeberet. Quapropter:

a) Ut, peculiaribus in adiunctis, diu noctuque ad fidelium nutum Pastor sit eius muneris indoles requirit. Non sibi, enim, sed gregi constitutus Pastor est, qui, igitur, continuo ipsi consulere tenetur. *Ad Episcopum* [et a fortiori ad Parochum] *quacumque die et hora unicuique necessitate compulso pateat aditus* in mantuana Synodo a SS. mo D. N. Pio PP. X celebrata¹, statutum legimus.

b) Attamen, quum et complurimis aliis Pastor detineatur negotiis quibus vacare pernecessarium, ut diei horas pro singulis dimetiatur omnino decet. Quapropter, communibus in adiunctis ac consueto more, ut quotidianas peculiare pro audiendis paroecianis constituat horas, in quibus a coeteris expeditis negotiis fideliter ipsis praesto sit, omnino decet.

c) Quae vero in re practica agendi ratio esse debeat, prima prudentiae principia dicent, et pressius ad rem:

¹ A. 1888.

1. Ulla absque festinatione, sed tranquillo animo omnia audiat Pastor, nec tantum auribus, sed et oculis plura interpretari sciat.

2. *Quid, cui, qualiter ac quantum loquatur sedulo attendat; si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit.*¹

3. Captiosas inopinatasque quaestiones astutiam vel curiositatem redolentes, prudenter devitet; murmurantibus adulantibusque ne praebeat aures, immo et os claudat obstruatque.

4. Paroecialis regiminis acta ne discutiatur; omissa et, eo minus, agenda nemini pandat.

5. De coeteris nulla indiscreta ac pervicax quaestio, sermo, immo, nulla omnino; et cuncta quae ipse loquuturus est plurimos cognituros fore pro certo teneat.

6. Unó verbo, nec curiositati, nec loquacitati, nec taciturnitati Pastor inserviat, sed, extrema quaeque devitando, adeo cum omnibus se gerat, ut cunctis spirituali utilitati, neminique offensionem ac impedimento esse possit.

504. — At Pastor ille qui, ut suas dignoscat oves, earum visitationem expectaret omnino inepte profecto ageret. Quapropter ut gravissimo suo muneri satisfaciat, ut eas invisat ac paterni sui animi amoris ac sollicitudinis testimonium praebeat, necesse est. Idcirco:

a) Pastorem illum qui unoquoque saltem in anno singulas suae paroeciae familias [in quantum licet] haud invisaret, suo officio haud satisfacere pro certo teneat. Volenti vero ac optanti, occasiones ad rem numquam desunt, et has opportune carpere ac illas diligenter adhibere Pastoris est, qui si in hoc sedulo se habebit, plura in sui spiritualis ministerii emolumentum assequetur. Quod si omnibus temporibus necessarium, nostris potissimum quibus vitae socialis condicio ea est ut si Pastor adeo a plebe separatus vivat ut Moysi in Monte Sina posito comparari possit, gregis fiduciam ac certe eius amorem amittet, quod et apostolicum labefactare ministerium idem esset. Actuositatem, igitur, illam quae eius muneris praeclara praerogativa esse debet, haec quoque tam sedulo exercent Pastor ut quod nomine tenet officium, re et effectu exercendo, in suorum filiorum oviumque medio facile verset, quo tantum eos apte dignoscendo, eorum feliciter fortiterque sibi devinciendo corda, et praesentia, verbo, ac exemplo suo eos sanctificando, Iesu Christi regnum in ipsis ac in eorum familiis instaurare ac dilatare valebit.

¹ S. Gregor. Magn. *Moral.*, lib. VIII, cap. 16.

b) Profecto, in visitationibus omnibus tum in modo, tum in locutione, tum in assiduitate ac urbanitate tam prudenter apteque se habebit Pastor ut nulli partium studio inserviando, tum pauperes tum divites, tum suae opinioni politicae faventes, tum ab ea dissidentes, nullo discrimine facto, invisat, ac, si res postulat, soletur ac adiuvetur. Nimia, enim, cum paucis familiaritas, caritati [qua omnes persequi debet] quam maxime nocet.

c) Non familias tantum, sed et oves singulas adire Pastor satagat, nec tantum ad sanas ac bene habentes, sed et ad spiritualiter aegrotantes accedat, quo Servatoris Nostri sancta imitabitur exempla, qui a muliere peccatrice se tangi permisit, ac, ut publicanum converteret ac in apostolum immutaret, eius invisitationem non recusavit. Non enim, ad vocandos iustos, sed ad peccatores salvandos se venisse¹ Pastor Pastorum obtestatus est.

505. — Haec autem argumenta studiaque cuncta, sive etiam iam recensita sive recensenda in posterum, plurimum profecto conferent ut fidelium in animis illa excitetur ac foveatur propensio quam *paroecialem spiritum* compellant, cuius ope, quae Pastorem agnoscunt suum atque ab eo se agnitas sentiunt oves, adeo mutuo devinciuntur nexu, ut non tantum unus grex, sed una plane familia sit, in qua sicut novellae olivarum dilecti filii patris sub oculis adolescent, atque in cunctae vitae cursu ad optatum diriguntur finem. Nam rerum quisque aequus aestimator in eo paroeciae canonicam indolem probe contineri sentiet, ut illa veluti christifidelium mater atque altrix habeatur, quorum, superna favente Gratia, cunctos a baptismali fonte ad extremum vitae agonem moderatur gressus. Parochus autem qui huius almae mater germanus sponsus a ss. Canonibus perhibetur, cunctorum filianorum qui dicuntur suorum pater re et effectu esse iubetur, qui in eo Ecclesiae auctoritatem venerantur, per eum Episcopo atque Summo Pastorum Pontifici uniuntur, ut vicissim cum Bono Pastore unum, Ipso summopere optante, faciant. Porro sicut filius in quavis bene ordinata familia parentibus, ita filius in parochia Pastori suo peculiari quadam animi propensione devincitur, quam *paroecialem spiritum*, veluti filialem pietatem dicimus; qua fit ut christifidelis prae ceteris sibi sortitam rite familiam diligat, eique potissimum addicatur, atque in ea sacramenta christianae vitae, religionis quaecumque adiumenta, etiam sine legis iussu, recipere, ecclesiasticasque celebrare actiones sive functiones praeoptet. In quo felici spiritu

¹ Cfr. *Math.* X, 13.

excolendo, Parochus, non quidem humanis ductus argumentis, multoque minus aliorum quaesita iura laedendo, vel iustam cuicumque debitam spiritualem libertatem offendendo, adeo insistat, ut christianae vitae florem uberesque fructus eo maxime ferat. Enimvero ibi christianam florere observantiam ubi paroecialis huiusmodi spiritus floreat, ibi primum decidere ubi alter decidat, quotidiana experientia docemur. Ut igitur, tamquam medium ad optatum finem praevalidum illum usque Animarum Pastor excolat promoveatque, quam maxime expedit. Hac ratione et illud faustissimum feret, ut inter filios ipse revera bonus Pater ac Doctor, Sanctaque Ecclesia, mente et effectu, ut Mater dilectissima sapientissimaque Magistra habeatur, quod paroeciis Pastoribusque omnibus ex toto corde ominamur!

§ II. — De Boni Pastoris practica caritate, seu eleemosynis.

SUMMAE RERUM. — 506. Quae et quanta in re Sanctae Ecclesiae gloriae sint. — 507. Caritatis in Pastoribus gravis obligatio. — 508. Normae ad rem pastorales quoad privatam illam quae esse possint. — 509. De publica quae tenenda sint — 510. Conclusio.

506. — Catholica Ecclesia, quae in pauperibus miserabilibusque personis Divini Sui Sponsi personam dignoscit, sollicitam de ipsis planeque peculiarem curam constanter gessit, caritatemque erga eos numquam impendere destitit. Haec Ecclesiae Sanctae sollicitudo, pietas ac studium, ex rectione et fundatione aedium, quae egenis, orphanis, senibus, aegrotis, peregrinantibus, surdo-mutis, coecis, mente captis, coeterisque corporali et spirituali solatio indigentibus destinatae fuere, et quas, ubi primum a persecutionibus cessatum et christianae rei pax data fuerit, universum per orbem magno numero apparuisse, veridici aetatum omnium annales testantur, apprime fulget. Quae, insuper, inexhausta Ecclesiae caritas et in mirabili illa abnegatione qua praeclarissimi eius filii [cum Apostolo ingeminantes: *Ego autem libentissime impendar et superimpendar ipse pro animarum vestris, licet plus vos diligens, minus diligar*¹] difficillimae saepeque ingratae illorum Institutorum administrationi sese devovere, luculenter demonstrat. Haec sancta ac immaculata Maiorum traditio, quae hic illuc, quot catholicae beneficentiae Institutis, nunc laicalibus ut plurimum extantibus ruinis, religiosissimae Gentes nostrae olim florere, amplissime ostendunt. Quae Pastores conside-

¹ Hebr. XII, 2.

rantes, adeo tum privatim, tum publice se habebunt, ut gloriosa eius vestigia sequentes, eorum apostolatus primitiae, flentibus ac lugentibus, indigentibus nimirum pauperibusque, toto ex corde, impendant¹.

507. — Quae vero in re generalis obligatio habeatur recolenda est, quum ex ea, quae dicenda sunt [veluti ex proprio legitimo fonte] dimanent. Quapropter principia ex theologia morum deprompta² accipe:

I. Ex Ecclesiae voluntate explicitae prohibentis ne beneficiarii quicumque, ex Ecclesiae redditibus, consanguineos aut familiares augeant suos, nisi pauperes sint [quibus, idcirco, *tamquam pauperibus*, ecclesiasticas res, quae Dei sunt, distribuant] sed ut quae sustentationi supersunt in causas pias erogent, iubentis gravem religionis obligationem ipsis incumbere quoad beneficialia bona, aperto constat.

II Ex ipsa beneficiorum bonorum indole haec obligatio dimanat; nam cum ad cultum Deo impendendum haec a fidelibus offerantur, ab Ecclesia ad hunc finem suscipiantur ut in hoc tantum impendantur, ne oblatores voluntas pessumdetur, ut in hoc tantum adhibeantur, *grave conscientiae debitum* urget.

Quousque vero, haec Pastorum obligatio urgeat, eiusque rationes et tempus qui sint, moralium rerum cultores tradunt; sed hoc, nostri quod attinet, solemniter memorandum, nimirum, Pastores illi qui suis paroeciae pauperibus in necessitatis conditione positos [in quantum rerum adjuncta sinunt] haud subveniant, se propriis obligationibus, profecto, deficere certum habeant. An ex virtute religionis tantum, an et ex iustitia ad hoc teneantur ipsi, D. D. disputant; verum, quidquid sit, animarum Curatorem illum qui suis pauperibus desit, proprium pastorale munus funditus irreparabiliterque labefactare certum est. Enimvero, cum pauperum orphanorumque adiutor Pastor constituatur, ut [in quantum circumstantiae sinunt] his subveniat, necessarium est. Quo fit ut qui, contrario, immodice thesaurizet, haud indigentibus nepotibus beneficii pecuniam impendat, vel in inutilibus supervacaneis rebus eam disperdat, potiusquam Pastor bonus, pauperum fur ac latro extet. *Nobis in frigore [in hos ita pauperes clamantes D. Bernardus inducit] et fame laborantibus, quid conferunt mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis, vita nostra cedit in superfluas copias vestras; nostris necessitatibus subtrahitur quidquid accedit vestris vanitatibus;... dum vos vanitate peribitis, et nos spoliando perimitis*³. Sed hi indigentes omnes [Patre orphanorum et Iudice viduarum pro eis adstante], in futuro stabunt cum magna constantia adversus eos qui se angustiave-

¹ Cfr. Trid. Sess. XX, 178; Pius PP. X, encycl. *E Supremi*, 4 oct. 1904.

² Cfr. Noldin, *Op. cit.* n. 180.

³ Epist. lib. 2.

runt. *Cave, igitur, o Pastor, ne intra oculos tuos includas salutem inopum, et tamquam in tumultis, sepelias vitam pauperum*¹. Ceterum *Ecclesia aurum habet non ut servet, sed ut eroget et subveniat necessitatibus*², et Pastor ille qui, potiusquam sinceræ caritati ac misericordiæ, obligationi tantum inserviret, non patris matrisque viscera ostenderet, sed mercenarii sensa foveret. Oh! felix, centies millesque felix Curator animarum ille qui, Sanctos imitatus Pastores, non Ecclesiæ tantum beneficia ac redditus, sed et [cum necessitas cogat] et patrimonium proprium pauperibus indigentibusque impendere non haesitet! Horum ad Deum gratissimæ preces ac grati animi lacrimæ, quot ab ipso mala arcebunt, quot benedictiones ipsi ac pastoralibus operibus suis, e Superis impetrabunt! Magna sacerdotum omnium laus paupertas est, uti divitiæ infandum dedecus ipsis sunt: Pastor in pauperes liberalis benedictus, avarus vero maledictus erit³.

503. — Sed ad praxim devenire oportet ut prudens ac apta in pastoralis regimine eleemosynarum dispensatio indigetetur, quæ si quomodo pauperibus impendantur, quod adiumentum constitutum est, in pastoralis regiminis ac apostolici ministerii detrimentum verti potest⁴. Idcirco:

a) In omnibus elargiendis eleemosynis hoc unum primario Pastor sibi proponat, ut, scilicet, per ipsas spirituale fidelium emolumentum facilius assequi valeat.

b) At genuinos pauperes ab apocryphis distinguere sedulo Pastor curet, quod si parvis in oppidis nullius negotii res erit, in paroeciis civitatis [ubi personarum immigratio ac emigratio fere continuo habetur] arduum, ut plurimum, evadit. Semper vero, qui ut otio, vino, alcoholismo ac vitio indulgere vitamque agere commode possint, de christiana charitate quaestum faciunt [quo genuinis indigentibus valde nocent] semper ac ubique, in omnibus fere societatis coetibus haberi, pro certo Pastor teneat. Hos vero tum viros, tum, et praesertim, mulieres, ex eorum inani artificiosa at semper mendaci ac importuna supplicandi ratione, necnon ex versutissimis ad rem mediis adhibitis, Pastor dignoscet, quos priusquam quidquam eis emolumenti donetur, qui reapse sint a fide dignis percontabit. Interdum, aptis utendo verbis, ab uno ad alium diem eos dimittere quin aliquid accipiant, opportunum erit, quo et redeundi voluntas, comiter, arcebitur: his, enim

¹ S. Ambrosius, *De Officiis*, lib. XII, cap. 2.

² Id. *Ibid.*

³ Cfr. Swoboda, *Op. cit.*, pag. 350.

⁴ Cfr. pag. 162 ad I et II; Frassinetti, *Op. cit.*, Part. I, Cap. V.

indulgere, non caritatem, sed proditorem sapit. Ceterum cum his adhortationes ad nil nisi ad eorum petulantiam insolentiamque augendam prosint, oleum operamque perdere haud profecto convenit. At cum iisdem quadruplicem haberi casum in consuetis est, nempe:

I. Si ad Pias Consociationes ac Opera oralem praesentationem aut commendationem postulent, utramque praebere Pastor potest. Attamen quæ eorum genuina necessitas, morum condicio ac honestas sit ne sileat Pastor, ac agenda earum administratoribus eleemosynariisque, quin urgeat, ultro libenterque dimittat.

II. Si paupertatis testimonium hi expostulent, quum, quamvis propter indolentiam culpabiliter pauperes, attamen tales semper sint, illud concedere poterit. Sed tam caute, paucis compositisque verbis redigat ut legentibus genuina eius significationem, nullo negotio, pateferi possit, quod ut, plurimum, Operarum Piarum administratores ac elemosynarii [his adsuets] facile comperient. Ceterum, peculiaria quaedam ac secreta cum his Administratoribus in litteris testimonialibus statuere indicia, ex quibus genuinam earum vim aptius perspicere ipsi valeant, plurimum juvabit¹.

III. Si vero, una cum paupertatis, et moralitatis testimonium hi postulent, si:

1) petens perditæ famæ sit, omnino denegandum et, dum licet, apta quoque reprehensio adiungenda;

2) si Ecclesiam minime frequentat, dum recusationis causam satis clare Pastor innuit, se eum non agnoscere comiter excuset;

3) si petens honesti viri fama gaudeat, aut saltem nec pro, nec contra peculiaris publica opinio pervadit, quamvis eum non bene moratum esse private Pastor dignoscatur, attamen ita ut potiusquam propriam opinionem, vulgi illam affirmet, attestationem exarare potest².

IV. Si, tandem, ad communes ac generales eleemosynarum distributiones partem habere quidam postulet, ne vexationum periculis iniuriisque obiiciatur Pastor, annuere adstringitur. Ceterum, his in adiunctis, genuinum a falso discernere paupere, tam perarduum ac semper periculosum ut, ad plura incommoda praecavenda, concedere potiusquam negare deceat. — Quoad vero has communes, generales ac periodicas eleemosynarum distributiones attinet recolendum est:

1. Nisi peculiaris accedat ratio, nil innovandum, et quum in eorum quantitate numerositateque aliquid permutandum sit, Ordinarius percontetur qui de agendis statuet. Enimvero, quæ in re haberi solent

¹ Cfr. paradygm. XLI ad vol. calc.

² Cfr. paradygm. XLII ad vol. calc.